

ostendisset, utrumque regem sua multitudo consalutaverat: tempore illi p^raecepto, at hi numero avium, regnum trahebant. Inde, cum altercatione congressi, certamine irarum ad caedem vertuntur: ibi in turba ictus Remus cecidit. Vulgatior fama est, ludibrio fratrⁱs Remum novos transiluisse muros: inde ab irato Romulo, quum verbis quoque increpitans adjecisset, sic deinde, quicunque aliis transiliet moenia mea, imperfectum. Ita solus potitus imperio Romulus: condita urbs conditoris nomine appellata. Palatum primum, in quo ipse erat educatus; muniit: sacra diis Albano ritu, Graeco Herculi, ut ab Evandro instituta erant; facit. Herculem in ea loca, Geryone interempto, boves mira specie abegisse memorant, ac prope Tiberim fluvium, qua, p^raese armentum agens, nando trajecserat, loco herbido, ut quiete et pabulo laeto resiceret boves, et ipsum, fessum via procubuisse. Ibi quum eum, cibo vinoque gravatum, sopor oppressisset, pastor accola ejus loci, nomine Cacus, ferox viribus, captus pulchritudine boum, quum avertere eam praedam vellet, quia, si agendo armentum in speluncam compulisset, ipsa vestigia quaerentem dominum eo deductura erant; aversos boves, eximum quemque pulchritudine, caudis in speluncam traxit. Hercules, ad primam auroram somno excitus, quum gregem perlustrasset oculis, et partem abesse numero sensisset, pergit ad proximam speluncam, si forte eo vestigia ferrent. Quae ubi omnia foras versa vidiit, nec in partem aliam ferre, confusus atque incertus animi, ex loco infesto agere porro armentum accepit. Inde quum actae boves quaedam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent, redditⁱa inclusarum ex spelunca boum vox Herculem convertit. Quem quum vadentem speluncam Cacus vi prohibere conatus esset; ictus clava, fidem pastorum nequicquam invocans, morte occubuit. Evander tum ea, profugus ex Peloponneso, auctoritate magis, quam imperio, regebat loca: venerabilis vir miraculo literarum,